

Codex.

Magnifice inspirati sunt enim in verbis, quae didicerant, et coadunati sunt omnes in ierusalem iocundari secundum dispositionem domini dei israhel.

Neque tamen propterea Nostra de Graeco LXX. versa sunt. Graecus enim Textus sistit in καὶ ἐπισυνῆχθησαν, et coadunati vel congregati sunt, et ultra non progreditur; imitantur tamen Graecos, apud quos apocryphus hic Liber *Esdrae Primus* est, genuino Libro *Primo* unacum *Nebemia* ad secundum locum retruso. Finem huic Parti imponunt II. *Machabaeorum Libri*, quorum priori Elenchus *Capitulorum LVI.* praefixus est; posterior vero C. 12. a v. 43. memoriam Defunctorum rite celebrat.

V.

Pars III. numerat *Foll. 134.* complectiturque *Novum Testamentum* hoc ordine: IV. *Evangelia*, *Epistolae Pauli*, *Actus Apostolorum*, *Epistolae Canonicae.* I. *Job.* c. 5. v. 7. sic habetur: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis. Et tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in celo. pater. uerbum. et spiritus sanctus. Et hij tres unum sunt.* Claudit Opus decumanum *Apocalypsis*, cujus 11. ultimas lineas minori laciniae inscriptas *Compactor* inter *fol. 132* et *33.* inseruit,

Edita.

Magnifice enim sunt exaltati verbis, quibus edocti sunt, et congregati sunt universi in Jerusalem celebrare letitiam secundum testamentum Domini Dei Israel.

monente id ad calcem *Gallo* quondam possessore, qui tamen non mouit, plura Folia a me superius indicata excidisse. Ceterum observaverit Lector, praeter *Baruch* etiam huic Bibliothecae Divinae *Psalterium* deesse. Ego vero addo, singulos paene Libros instructos esse Prologis *Hieronymi*, aut aliis illis Argumentis, quibus in Bibliis glossatis praemuniri consuevere.

VI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 305r
XIII. Folior. 340. f. maj. per duas columnas luculente exaratus, coloribus distinctus, et quondam, ut ad calcem notatum est, *Domus sancti Job. baptiste In Seycz*, quae fuit *Carthusia Styriae inferioris*, est *Pars Prior S. Bibliorum* Versionis vulgatae, *Hieronymi Prologis* et solitis *Argumentis* instructae, et consueto ordine decurrentis usque ad finem *L. Job*, quem, nescio qua ratione factum, excipiunt *D. Pauli Epistolae*, in quibus haec *Pars* terminatur. *Librum Esdrae II.* haec solum modo *Nota* miniata distinguit: *Verba Neemie filij helchie*; et ad ejus calcem: *Explicit liber hesdre.* Igitur